



V N I V E R S A

PHILOSOPHIA
PERIPATETICA

Q V A M

INGOLSTADII IN CATHOLICA ET
ELECTORALI ACADEMIA
PVBLICA DISPV TATIONE

PROP VGNABVNT

DVO E SOCIETATE IESV
RELIGIOSI METAPHYSICÆ
S T V D I O S I.

PRIDIE CALEND. JVL.

ANNO CHRISTIANO

C I D. I D C. X X X I.

INGOLSTADII,

T Y P I S

GREGORII HÆNLINI.



NOTO DEO
HAS PHILOSOPHIÆ NOTITIAS
PONUNT
CLIENTES INFIMI
EX LOGICA.



Logica Docens est Habitus Verus, Instrumentarius, ex se ordinatus ad construenda rectas Dissertationes, quibus scientiæ acquirantur. Eius Obiectum Attributionis ad æquatam sunt omnes Tres Mentis Operationes, vt Rectitudine Logicâ dirigibilis Logicam Docentem ab Vtente non nisi formaliter distinguimus, & ab actuali operatione in aliorum Habituum materiâ (Probabili tantum & Sophistica) Vtente vocamus. Logica Artificialis ad Totales Scientias acquirendas moraliter tantum; ad aliquas verò Partiales nec moraliter est necessaria.

II. Vniuersale Genus est Vniuocum ad quinque Species, non quidem Inmediatâ, Adæquatâ tamen diuisione sibi subiectas. Materiale eius significatum est Natura à parte rei Formaliter Vna, seu per prædicata essentialia Indiuisa. Formale constituit Vnicam Præcisionis, & Aptitudo inessendi pluribus Negatiua; quæ duo Naturæ tantum in statu Existentiæ Obiectiuæ completè conueniunt. Vniuersale, vt sic, fit per Notitiam Abstractiuam; per Comparatiuam cognoscitur; in actuali de suis inferioribus prædicatione perit.

III. Genus formaliter dicit tantum partem suorum inferiorum, per modum tamen Totius deesse prædicatur; ab vna Actuali, non item ab vna solum Possibili specie abstrahi potest, ita vt Vniuersale fiat. Essentia Speciei in communi consistit in hoc, quod sit Pulchritudo & Perfectio essentialis alterius, non per modum aduenientis & incompleti, sed per modum subsistentis & completi. Differentia secundum se definiti nequit, sed tantum prout substat rationi alicui accidentali, in qua Differentiæ vniuocè conuenire possunt. Proprium (qualesolum Accidens Conuertibile agnoscimus) per duplicem respectum, ad Subiectum scilicet Conuenientiæ & Existentiæ, Vniuersalis rationem habet. Accidens de suo subiecto contingenter tantum prædicatur, & per rationem, saltem sine consecutiua Essentiæ destructione, ab eo separari potest.

IV. Ponibile in Prædicamento Ens reale, Finitum, Completum, Vnum per se, & Incomplexum sit necesse est. Decas Prædicamentalis distractione rationis ratiocinatæ sufficienter saluari potest. Substantia, cuius essentialis conceptus est, Per se, seu non in alio tanquam in Subiecto Inhærensione existens, diuiditur in Primam & Secundam; huius diuisionis diuisum est Substantia Completa formaliter accepta, prout ab Vniuersali & Particulari abstrahit. Inter Species Qualitatis sola Dispositio & Habitus quandoque essentialiter distinguuntur. Prædicamentum Habitus non solis hominibus, sed propriè etiam animalibus conuenit; est partim intrinsecum partim extrinsecum, & formaliter in habitatione Actiua & Passiua, per quam Corpus Habere, & Vestis Haberi dicitur, consistit.

V. Relatio Prædicamentalis est Accidens reale, à subiecto proximo non nisi ratione ratiocinatâ distinctum; eius Esse totum est, Ad aliud vt ad purè Terminum se habere. Constituitur adæquatè tum ab aliquo intrinsecò, tum ab aliquo extrinsecò; Terminum respicit sub ratione Absoluti, à quo formaliter sumpto specificatur, & cum eo quoque multiplicatur; Requirit duo extrema realia, & saltem immediata, realiter distincta. Relatio Similitudinis & Dissimilitudinis non suscipit magis & minus. Dantur Relationes Transcendentales, respicientes terminum etiam non existentem, eas tamen non necesse est semper esse Differentias essentialis entium absolutorum.

VI. In

VI. In omni primâ mentis operatione potest esse Veritas cognitionis incomplexa, & in apprehensione omnino simplici Falsitas per accidens. Veritas & Falsitas complexa sub diuisione, sunt proprietates Veræ Enunciationis. Verbum Est, nec in propositionibus necessarijs, nec in enuntiationibus de tertio adiacente, rationem Verbi amittit. Enunciatio formaliter quidem consistit in Iudicio, adæquatè autem sumpta non est vna simplex qualitas; semel Vera Falsa esse nequit, & vicissim; de futuris Contingentibus alteram determinatè veram, alteram determinatè falsam habet.

VII. Conclusio, à præmissis moraliter causata, debiliorem illarum partem sequitur, est que de essentia syllogismi ab Aristotele definiti. Eius assensum Intellectus per se suspendere nequit, vbi sufficientem extremorum cum medio termino conuenientiam in præmissis cognouit. In Secunda & Tertia Figura Syllogismorum nulli sunt Modi Indirecti.

VIII. Definitio vt causa, est aptissimum medium ad Demonstrationem Potissimam; cuius Præmissæ tertium Necessitatis gradum habere; quod ad nos, saltem virtualiter, Immediatæ; tam secundum se, quam secundum nos Notiores Priorésque esse, Causam Conclusionis in Essendo, saltem Virtualem, continere debent. Nec Vniuersalis, nec Difformis Circulus Demonstratiuus datur. Demonstratio à Priori & Posteriori vniuocè conueniunt, licet hæc illâ sit ignobilior.

IX. Scientia, quæ est effectus præmissarum demonstratiuarum, in communi dicitur esse Iudicium Certum & Euidens, rei necessaria, per aliud: Pro obiecto habet Ens Reale, Æternum, Incorruptibile, Simpliciter Necessarium, & vt plurimum Vniuersale; Desumit suam vnitatem specificam ab Obiectis specie distinctis. Instrumenta sciendi sunt Tria, inter se adæquatè distincta, nempe Definitio, Diuisio & Argumentatio. Scientia Subalternans à Subalternata distinguitur per superadditam conditionem accidentalem, quæ se habet ex parte Obiecti Materialis Scientiæ Subalternata.

EX PHYSICA.

X. Physica est Scientia Speculatiua de Corpore Naturali, vt Tali, quod Principia in Fieri, prout est Transmutatio Tria, habet. Materiam, Formam & Priuationem; Vt est Actio totidem, substituto tamen loco Priuationis Efficienti; In Facto Esse solum Formam, & Subiectum habet. Principia Physica nec ex se inuicem, nec ex alijs eo principiandi genere sunt, quo alia ab ipsis principiuntur; omnia autem Composita Transmutationis ab illis vel Terminatiue, vel Constitutiue sub diuisione sunt.

XI. Materia prima est pura Potentia Passiua; Ingenèrabilis & Incorruptibilis; secundum se Vna Numero; in rebus & Sublunaribus & Superlunaribus Vna Specie; habens propriâ Existentiâ; tendens appetitu innato in omnes Formas Possibiles, tam Naturales quam Artificiales, etiam destructas, non tamen Supernaturales; nullam Formam, saltem Substantialem, sibi Coæquam habens; connaturale (præter Quantitatem) subiectum accidentium materialium, absolutorum; constituens vnâ cum Forma Substantiali Vnum per se completè Subsistens.

XII. Formæ Materiales naturaliter ex potentia Materiæ educuntur, supernaturaliter tamè creati possunt; sicut vicissim Animam Rationalem diuinâ virtute generari posse probabile iudicamus. Quando vna Materia pluribus Formis simul substat, aut plures Materiæ ab vna numero Forma informantur (quod vtrumque supernaturaliter fieri potest) non sunt plura adæquata Composita. Vni quæ partes physicas in Vnum coniungit, est ab illis realiter modaliter distincta, inexistit Materiæ vt Subiecto, & afficit Formam extrinsecè vt Terminum. Priuatio Formæ Inducendæ non semper Definendo, semper autem Non essendo principiât.

XIII. Definitio Naturæ tam principio motus Passiuo quam Actiuo conuenit; Materia autem tantum vt certæ Formæ subest, propriè Natura est. Bruta ex Vera, licet non Aristotelica Arte quandoque agunt. Figura, quam Ars directiue dicitur producere, non nisi formaliter à re figurata distinguitur. Causa in communi est Principium per se influens Esse in aliud; nunquam in actu secundo Naturâ prior est suo effectui; constituitur in Potentia physica per Vim causandi, ab entitate causæ saltem formâ prior est suo effectui; constituitur in Potentia physica per Vim causandi, ab entitate causæ saltem formaliter distinctam; in Actu verò physico per Causalitatem, vt plurimum realiter distinctam.

Causarum



Causarum physicarum in quatuor genera, est Adæquata, Vniuoca, & in membra saltem formaliter Opposita.

XIV. Causalitas Materiæ in Compositum est Vnio, vna numero, & eadem quæ est Causalitas Formæ in idem Compositum; reliquorum verò Effectuum Materialium Causalitas est Passio. Compositum (quod est effectus primarius Causæ Formalis, cum secundarius effectus eius sit Expulsio prioris Formæ) inadæquate sumptum striçtè Realiter, vel pro diuersa inadæquatione Modaliter, à partibus autem vt vnitis non perfectè Formaliter distinguitur. Potest etiam dari Vnio, quæ ipsa Creatam Formam Generatam Materiæ iungat: Si Vnio neutri extremorum intrinsecè inesse poneretur, non fieret Compositum per Modum Actûs & Potentiæ, sed per modum quasi partium integrantium.

XV. Causa Efficiens Principalis est, quæ propriâ virtute producit effectum, qui vim & virtutem illam non excedat: Instrumentalis est, quæ alienâ virtute effectum propriam vim excedentem producit. Accidentia sunt proximum principium, quo Formæ Substantiales producuntur; agunt cum his præsentibus immediatè vnâ actione Totali; ijs absentibus in virtute Naturæ Communis immediatè sola Substantiam instrumentaliter producunt; alia verò accidentia transeuntia principaliter. Forma Substantialis producendo suas proprietates actiuas, non Suâ, sed Generantis potentiâ agere censetur.

XVI. Efficiens pro sua Causalitate habet Actionem Creatiuam & Eductiuam; Illa est modus Substantialis, etiam respectu accidentium creatorum; Hæc est Accidentalis, à passione re indistinctus; præter Passum efficiens Terminum, sine quo esse nequit, & ab eo formaliter sumpto suam Vnitatem Formalem, saltem inadæquate, imò & Numeriam habet. Licet Potentiâ Obedientialem actiuam (quæ posituum quid est, & à Potentiâ Naturali solo connotato distincta) in rebus creatis admittamus, eam tamen Materiæ primæ negamus.

XVII. DEVS cum Causa secunda eadem actione, nec priore quàm sit actio creaturæ, agit; & implet dari Creaturam, quæ sine Causa prima agat. Eiusdem numero effectus possunt supernaturaliter plures esse Causæ Totales Efficientes, & simul & successiuè; sic etiam idem, non tamen vnica actione, seipsum producere potest. Effectus Causæ Finalis sunt Media, & actiones circa Media elictæ; Vis causandi est Bonitas, Vera vel Apparens, Honestas vel Delectabilis, imò etiam Vtilis quâ Talis Causalitas est Intentio, quæ est Qualitas absoluta. Etiam Bruta & Agentia Naturalia propriè propter Finem agunt.

XVIII. Quantitas striçtè realiter à suo subiecto, & alijs accidentibus physicis distinguitur; est diuisibilis secundum partes proportionales in infinitum syncategorematicè (Categorematicum enim infinitum in rebus creatis quouis respectu implicat) Partes nullas habet actu distinctas; Indivisibilia realia quidem, tam Terminantia quam Copulantia; sed non nisi formaliter distincta continet. Tres numerat species, nempe Lineam, Superficiem, Corpus; Impenetrabilitatem aptitudinalem essentialiter exigit. Impenetrabilitas à Quantitate, vti & Extensio à re extensa sola ratione ratiocinata distinguitur.

XIX. Motus, vt definitur esse Actus entis in potentia quatenus in potentia, insert Successionè ab Actione solo connotato, à Subiecto & Termino modaliter distinguitur; sub sua ratione formali in nullo Prædicamento ponitur; ad tria Prædicamenta, nempe Quantitatem, Qualitatem, & Vbi terminatur, Terminus Motus Localis est Impetus & ipsum spatium. Immobilitas Loci desumitur à punctis fixis Spatii Imaginarij. Locus Intrinsecus est ipsa Rei Locatæ cum spatio Coexistentia, à subiecto suo realiter indistincta; vnitatem suam Numericam desumit à spatio Imaginario & à subiecto; Diuersam à Situ, qui ex varia Corporis Situati ad partes Mundi Principales habitudine oritur, formalitatem habet.

XX. Replicatio Corporum modo tam Circumscriptiuo quam Definitiuo, tam in eodem quam pluribus locis soli virtuti Diuinae conceditur. Corpus Replicatum nec maiores habet vires, quàm prius habuerit,

habuerit, nec omnia ei accidentia conueniunt, quæ in altero loco conueniebant. Si à Deo Vacuum fieret, vt potest, tum nec Grauiam in eo deorsum, nec Leuiam sursum ex se ferrentur; impulsa etiam ab Angelo y. g. non in instanti mouerentur; Alij quoque motus, vt Alteratiui, Progressiui, & vniuersim ij, qui nouum Vacuum non inferunt, in illo fieri possent.

XXI. Tempus diuidimus in Durationem Intrinsecam & Extrinsecam: Illa est qualis qualis rei in suo Esse actuali Permanentia; connotans Tempus Extrinsecum saltem Imaginarium; ab Entitate tamen rei indistincta: Hæc est Numerus Motus secundum prius & posterius, numeratione aptitudinali, desumptâ à motu Firmamenti vel Astrorum, maxime Solis & Lunæ. Tempus Extrinsecum non tantum quodam Instantia, est præsens; à suo motu solum formaliter distinguitur; Velox & Tardum solum à Denominatione aliqua Extrinseca dicitur.

XXII. Instantanea tantum Intrinsecè, Successiua secundum se tantum Extrinsecè; res Permanentes pro varietate Causarum & conditionum, modo Extrinsecè, modo Intrinsecè Incipiunt & Desinunt. Mundus licet ab æterno non sit, per absolutam tamen potentiam potuit esse quodam Res Permanentes, non item Successiuas. De facto est Vnicus, essentialiter, non item accidentaliter perfectus; multiplicabilis & quodam Numerum & quodam Speciem; quodam aliquas partes propriæ, à solo Deo creatus, quamuis ad id quoque creatura in genere Causæ Instrumentalis assumi potuisset.

XXIII. Cælum constat Materiâ, & forma; & hæc est diuersa species à Formis rerum sublunarium. Duo cœli, nempe Firmamentum, & cælum Planetarium sufficere videntur. Mouetur ab Intelligentijs motu Naturali, spirali, & vnico, ab Ortum in Occasum, nõ tamè simpliciter Rebus sublunarijs necessario. Cælum nec Leue, nec Graue, nec Lucidum, nec Coloratum, sed Perspicuum est; Differentias positionum propriè non habet; per motum effectiue nihil producit; per Lucem quidem & Influencias in hæc Inferiora, non tamen in Animam Rationalem directè agit.

XXIV. Astra tam à Cælo quam inter se essentialiter distinguuntur, licet fortasse non omnia; mouentur ab Extrinseco, inæqualiter, & sine concentu; Fixorum numerus & ordo incertus est; Errantium altitudo per Eclipses & Parallaxes deprehenditur, Figura eorum Sphærica, & magnitudo secundum varias Hypotheses varia; Omnem primariam Lucem (quæ & in Astris, & in Sublunarijs eiusdem est species) à Sole habere videntur; propter irrequietam vaporum perpetuè intercurfantium fluctuationem scintillant; colorem tantum apparentem habent. Maculæ & Faculæ Solares sunt Stellæ.

XXV. Generationis Substantialis terminus Totalis est Compositum; Formalis verò est Forma vt Vnita, vel sola Vnio, si generatio pro Vnitione sumatur. Elementa quodam qualis partes substantialiter possunt transmutari, & immediatè tam Asymbola quam Symbola; non tamen manent actu quodam formas Substantiales in Mixto. Mixtio formaliter consistit in vnitione Miscibilium, & production formæ Mixti. Corruptio opposita Generationi, non est quid posituum, nec ab agente per se intentum; in ea nulla forma Substantialis, quæ in genito præfuit, aliqua tamen Accidentales manent. Semel destructum naturaliter reproduci nequit; supernaturaliter autem & Entia Permanentia & Successiua quâ Talia, etiam à Creatura diuerso respectu & principaliter & instrumentaliter agente, reproduci non implicat.

XXVI. Alteratio ex mente Philosophi necessariò est Successiua; potest tamen etiam esse Instantanea. Intensio sit additione gradus ad gradum in eadem parte Subiecti, siue Diuisibilis siue Indivisibilis rationem exercente. Gradus non differunt perfectione specificâ, aliquo tamen modo indiuiduali. Augmentatio formaliter consistit in vnitione quantitatum, connotando aliti maioritatem; potest esse continua & discreta, successiua & instantanea; Animata certos magnitudinis & paruitatis suæ terminos habent, non item per se Inanimata. Rarefactio & Condensatio est Productio Impulsus, dilatantis parum Materiæ ad magnas, & multum ad paruas dimensiones constringentis. Raritas & Densitas est terminus grammaticaliter Impulsus, ab Entitate rei indistinctus.

XXVII. Agens Creatum infinitos Syncategorematicè in certa serie effectus producibiles respicit; ex sua

ex sua natura ad talem effectuum producendorum ordinem est determinatū; habet certam a civitate sphaeram, in quam agit vniuniformiter difformiter, nunquam tamen ita, vt in finem sphaeræ totaliter agat, nihil agendo in medium; supernaturaliter tantum actione Totali, eā tamen tam Immanente quam Transiente in distans agere potest; debet aliquo modo esse distinctum à Passio, eiq̄ue in Gradu quodam proportionem maioris Inæqualitatis dissimile; quandoque à Passio Reagente patitur; vnde naturaliter vera positua Reactio, secundum eandem partem, idem tempus, & eandem contrarietatem inter agentia strictè contraria datur.

XXVIII. Quadriga Elementorum à Natura ita est constituta, vt Symbolizantia se mutuo contingant. Terra & Aqua vniunt globum Astronomicè sphaericum efficiunt, cuius centrum Magnitudinis & Grauitatis cum centro Vniuersi cōincidit. Qualitates Primæ Elementorum sunt quatuor; Actus omnes quodam effectum primarium; immediatè à forma substantiali emanant; Duræ cuius Elemento in statu naturali conueniunt in summo; Symbola etiā v.g. Frigus Terræ & Aqua &c. sunt eiusdē speciei.

XXIX. Grauitas & Leuitas sunt Potentiæ Naturales, Elementorum motrices, ortæ ex Forma Substantiali, & Qualitatibus primis, præsupposita debitâ Raritate & Densitate: singulis Elementis singulæ conueniunt in summo. Grauitas Terræ & Aquæ, sicut & Leuitas Ignis & Aëris sunt eiusdē speciei. Grauia & Leuia in fine velocius mouentur, idque maximè ob Grauitationem & Leuitationem; In locis tamen Naturalibus nec grauitant nec leuitant, in Aqua verò Grauia minùs ponderant quam extra illam. Proiecta ab Impulsi à proijciente ipsis impresso, non tamen necessariò per lineam Directionis, mouentur; Per se in puncto Reflexionis non priuatiuè quiescunt. Reditus eorum ab obstaculo vt plurimum effectiuè est à primo impetu mobili impresso; qui Impetus à Deo pendet in Conservari, & eiusdē speciei est cum Grauitatione & Leuitatione.

XXX. Meteororum materia proxima est Exhalatio & Vapor; Forma Substantialis Terra & Aqua; Accidentaliter verò Calor & Leuitas; Causa Efficiens illorum sunt Astra, aliq̄; corpora Calefacientia; Finalis Causa tam in Communi quam in particulari est varia. Galaxia est Lumen albicans, à plurimis stellulis profectum. Dantur Cometa & Ferrei & Cælestes. Fulmen non est Lapis, sed Exhalatio ignita. Iris tam Solaris quam Lunaris est Arcus multicolor, in nubè rorida & opaca, ex reflexione radiorū Solis & Lunæ opposita. Potissimi & ordinarij Ætus Maris pro præcipua & vltima causa habent Solem, Lunam; & reliqua Astra. Aliqua Flumina oriuntur ex vaporibus, intra montium ac Terræ cauernas in aquam conuersis.

XXXI. Anima est Actus primus Corporis Naturalis Organici, potentia vitam habentis; non vno tantum Corporis loco resider; nullas partes fluidas; vt Sanguinem, Semen, Adipem &c. Solidas verò; vt Pilos, Pennas, Rostra &c. informat; In quouis Viuente vna tantum simul tempore est, eiusdē rationis in omnibus partibus Corporis; producitur tum naturaliter, quando Verum est dicere, materiam iam sufficienter esse dispositā; si Rationalis sit, à solo Deo creatur, est Indiuisibilis in entitate, Spiritualis; & secundum se totam omnes partes Corporis actuat; non item si sit Materialis. Anima Rationalis formaliter est Sensitiua & Vegetatiua, sic etiam Anima Sensitiua formaliter est Vegetatiua.

XXXII. Animarum genera sunt Fria, Animarum Quatuor, Potentiarum Quinque. Potentiarum inter se, sicut ab Anima vniuersim non nisi formaliter distinguuntur, siquidem secundum Habitatem operandi sumantur, & non secundum ea quæ ad operationem necessaria connotant. Specificantur immediatè ab Actu, & mediatè ab Obiecto, illque adæquatè, & cum certo tenendi modo sumptis. Actus Potentiarum specificantur à forma obiecti; eiusdē Potentiæ actus non sunt eiusdē speciei. Actus Vitalis est Qualitas absoluta, & Terminus talis actionis, quā aliquid seipsum mouer ab Intrinsicè, ad perfectionem Intrinsicam; sibi in primo generationis instanti indebitam; Triā requirit, nimirum vt Producat à Viuente, ab eodem Recipiatur, & ei Vniatur.

XXXIII. Tres Potentias Principales Anima Vegetatiua numerat, quarum Nutritiua vt sic sola formaliter rationem Potentiæ Vitalis habere videtur, & reliquæ duæ solum in quantum eidem identificantur. Secretiua Potentiam pro Ministeriali non agnoscamus; eius enim officium Calor Vitalis, vel

is, vel Potentiæ Attractiua subire potest. Potentiæ Nutritiua est in toto Corpore, & eiusdē omnino rationis, siquidem abstrahat à Termino à Quo, qui vt sic specificam differentiam inferre potest. Proximum & vniuersale in Animalibus sanguine constantibus Alimentum est Sanguis, in alijs aliud æquivalens Natura subrogat.

XXXIV. Ad Sensationem Naturaliter faciendam, requiruntur Species Impressæ, determinatiuæ Sensuum ad Species Expressas eliciendas; sunt diuersæ ab obiecto Naturæ; non tantum Virtuales, sed etiam Formales, suorum Obiectorum Imagines; Subiectantur in Medio, in Organo, in Quantitate, & in Materia prima; sunt Diuisibiles Inensiuè, Extensiuè, & Repræsentatiuè; producantur Instrumentaliter à forma substantiali Obiecti; eiusque Colore Natiuo; Visibiles, absolutè ab obiecto, in Conservari pendere videntur, aliæ verò probabiliter; non sunt læsiuæ per se Sensuum, sed tantum quatenus qualitates quasdam Corruptiuas, aliàsque Organo in dispositiones secum aduehant.

XXXV. Sensus nec per absolutam Potentiam potest ferri, in Sensibile Commune, absque omni Proprio, aut in Proprium sine omni Communi; sicut nec in Seipsum, aut in suam Sensationem, aut in Substantiam, vel in Vniuersalia; potest tamen supernaturaliter tendere in obiectum absens, aut non existens, item in Sensibile supra Sensum positum. Sensus Externi de facto sunt Quinque, de possibili plures, essentiali & accidentaliter perfectione inter se diuersi.

XXXVI. Sensatio Tactus, cuius obiectum adæquatum sunt Qualitates Primæ, & quædam ex Secundis, fit in Neruis & Membranis Neruorum per totum Corpus sparsis. Gustus pro obiecto adæquato Saporem habet, qui est Qualitas Secunda, orta ex Primis, prædominante Humido Aqueo, ex Sicco Terrestri permixto; pro Organo Linguam & Palatum. Olfactus in Odorem tanquam Obiectum adæquatam tendit; Odor est Qualitas Secunda orta ex Primis, prædominante Sicco & Calido; Sensatio hæc formaliter fit in Processibus Mamillaribus. Auditio fit in Tympano, Peluij & innato aëri subtenso; Obiectum eius adæquatam est Sonus, qui ab Impetu efficitur; & tam in Eliso, quam in Eliditibus Corporibus subiectatur; Medium delatiuū Soni est Aqua, Aër, aliisque Corpora. Visio nis Sedes est Tunica Retina; Obiectum est Color latè sumptus, & Lumen, et si non sit Coloratum, Visio fit per Intus susceptionem Specierum.

XXXVII. Sensus Internus realiter & formaliter adæquatè est Vna Potentiæ; ob varios Actus variè denominabilis; Subiectatur in Cerebro; Per Species Intentionales sua Obiecta cognoscit, quas Species ab ipso Interno Sensu prius produci, & subiecto imprimi, quam cognitionem obiecti exprimat, probabilis iudicamus. Sensem Internum consequitur Appetitus Sensitiuus, Materialis, Organicus; Re itidem vnicus, Officio multiplex; residens in Corde; mouens Potentiam Locomotiuam, aliàsque Potentias ad actiones cuius proprias; Numerans Vndecim diuersæ rationis actus, versantes circa Bonum & Malum.

XXXVIII. Intellectus Propria Anima Rationalis Potentiæ, Spiritualis, Indiuisibilis, radicaliter Libera, à Memoria & Voluntate realiter Indistincta, diuiditur in Agentem & Possibilem, diuisione non Reali; Pro obiecto suo Terminatio habet Ens latè sumptum, pro Motiuo in hac vita solum Obiectum Sensibile; ad suos Actus determinatur à Speciebus Impressis, in Possibili Intellectu receptis, quæ sunt Qualitates Spirituales, Incorrumpibiles, Extensiuè & Obiectiuè Indiuisibiles, & nullæ obiectorum spiritualium aut vniuersaliū &c. propriæ; Ad has Species ipsum Phantasma quodammodo Obiectiuè concurrat. Intellectus non omnino actum suspendere, nec plura vt plura vnico actu cognoscere potest; In eo tamen simul de eodem obiecto Complexo Actus Scientiæ, & Fidei, Opinioniq̄que, quæ non habeat adiunctam actualem formidinem oppositi, non tamen Erroris, stare possunt.

XXXIX. Voluntas est Appetitus Rationalis, consequens cognitionem Intellectus, & tendens in Bonum actu Prosecutionis, in malum verò actu Fugæ; est ignobilior Intellectu, à quo nisi moueatur, naturaliter agere, sicut & à Cognitione Sensitiua immediatè moueri nequit, vtrumque tamen supernaturaliter fieri potest. Est Potentiæ formaliter Libera, & realiter ipsum Liberum Arbitrium. Impetuum in latiore significatione est Actus Voluntatis, in strictiori verò est actus Intellectus, nulla tamen

ex Tribus Operationibus Intellectus Speculatiui, sed peculiaris aliqua species Intellectus Practici. Potest etiam Voluntas Minoris Bonum sub ratione Minoris Boni propositum, eligere, accedente tamen errore Intellectus non tantum practico, sed aliquo modo etiam speculatiuo.

XL. Dantur Operatiui Habitus Acquisiti in Intellectu, Voluntate & Memoria hominis, item in Phantasia & Appetitu Sensitiuo Animalium, producti immediatè vitaliter ab Actu & Anima, una actione Totali agentibus; Distinguantur à Speciebus Impressis; Intenduntur ab actibus tam æqualis & minoris, quam Maioris Intensionis, ab Illis Instrumentaliter, ab His Principaliter; producuntur quodam Essentiã Toti etiam vnico actu; Terminum suæ Intensionis habent; nec in Infinitum augeri possunt; Immediatè cum sua Potentiã ad agendum tanquam Causæ Partiales concurrunt; dant Facilitatem tantum operandi, cum è contra Influxu etiam Facultatè agendi tribuant; corrumpuntur Mediatè & Effectiue per Actum, Immediatè autem & Formaliter per Contrarium Habitu. Habitus Scientiæ ab Habitu Principiorum speciè distinguitur.

EX METAPHYSICA.

XXI. Metaphysica est Scientia Speculatiua, & propriè dicta Sapiencia; habens pro Obiecto Principali DEVM, pro Obiecto Attributionis Ens vt Ens, abstractum ab omni Materia Sensibili & Intellegibili; pro Obiecto Communitatis idem Ens, vt potè quod de omnibus quæ in Metaphysica tractantur, in Recto prædicari potest. Ens aliud est Reale, quod absque opera Intellectus suum Esse habet; Aliud Obiectiuum, quod fit per operationem Intellectus; & hoc si pure Obiectiuum sit, Ens Rationis dicitur, quod à solâ potentia Intellectiua Humana, & probabiliter etiam Angelica, non tamen Diuina, semperque per conceptum falsum, tam Directum quam Reflexum, & in omnibus tribus operationibus Mentis fieri potest.

XXII. Ens Reale ad Substantiam & Accidens analogum est; ad nouem autem Accidentia Prædicamentalia vtrum Accidens analogum sit, asserendum omnino putamus, si Philosophi autoritas spectetur; Analogorum vnus conceptus communis Confusus, non item Distinctus esse potest. Dantur Analoga Mixta, quæ scilicet sint & Attributionis & Proportionalitatis. Analoga Attributionis habent Nomen Commune, & Rationem Substantiæ sic diuersam, vt ad vnum communem Terminum diuersis Relationibus referantur: Analoga Proportionalitatis secundum nomen commune, Substantiæ Rationem tantum proportionaliter eandem habent. Solidum Analogiæ indicium est Transcendentia, quæ facit Terminum Transcendentem omnia Prædicamenta, ita vt in Differentijs Inferiorum formaliter inclusus reperiatur.

XXIII. Gradus Metaphysici non realiter inter se distinguuntur. Essentia cuiusque Rei formaliter est ipsum Esse Rei, prout est Radix Existentiæ; non subest Voluntati Diuinæ, est Necessaria, Immutabilis; certo modo Realis; Æterna, Improductibilis; Indistincta realiter ab Individuatione & Existentiã, quæ Existentiã in Comuni definitur esse Actualitas Rei, per quam Res actu in Rebus constituitur. Subsistentia est Terminus substantialis, Absolutus, Diuinitus Separabilis; Diuisibilis ad diuisionem Rei Subsistentis; productus ab ipso generante; vltimò complens Naturam Substantialem; constituens Rem Per se Subsistentem, & alteri Supposito Incommunicabilem.

XXIV. Ens in Comuni à suis Passionibus, quarum Tres sibi intimè identificatas numerat, nempe Vnum, Verum, Bonum, diuersas formalitates habet. Vnitatis formaliter consistit in Negatione Diuisionis, suntque tot Vnitates, quot Diuisionu Negationes. Vnitatis opponitur Distinctio; quarum alia in Reale strictè & Modalem, alia in Rationis Ratiocinatæ, & Ratiocinantis diuiditur. Veritas Entis est Conformitas cum Idæa Obiectiua in essentia Diuina. Bonitas est Respectus quidam Transcendentis Conformitatis seu Conuenientiæ ad eum finem, ad quæ Res conditæ sunt à Deo, nempe ad declarandas Eius Perfectiones; quæ Finem & his quoque Theibus, & Vniuersæ nostræ Philosophiæ ponimus.

Ad Maiorem DEI gloriam.

Cum facultate Superiorum.